

Quod, DEO Duce,
probavit verum,
Hac qualicunq; Dissertatione
PRO GRADU in PHILOSOPHIA;
videlicet :

INTELLECTUM ESS NATURA PRIOREM VOLUNTATE,

Hoc

Cum consensu Amplissimæ Faculta-
tis Phil. ad Auram ,

SUB PRÆSIDIO

VIRI Adm. Rever. atq; Clariss. DOMINI,

MAG. JOHANNIS
HAA RTMAN,

Phil. Theoretices Prot. Ordin.

Publice defendere conabitur

S:Æ R:Æ M:ÆTIS Alumnus

CARL GUST. WERANDER

Ostro - Bothoieensis ,

In Aud. Maximo, die, si cœptis Nu-
mena taverit Supremum, 23. A-

prilis. 1726.

ABOÆ,

Typ. E. FLODSTRÖM, Reg. Acad. typog

Perillustri atque Generosissimo

DOMINO

BARONI FABIANO

WREDE,

*Majori Legionis Pedestris, ut Patro-
no Magno, sic magna, qua-
par est, animi reverentia
colendo.*

Nobilissimo atq; Cognitissimo

VIRO,

Dn. ADAMO SKYTS,

*Regii apud Fennos Tribunalis Asses-
sori Amplissimo, Promotori
Certissimo.*

*O B sumnum favorem, quo Vos, Patre
prosequimini, in signum submissae rede-
voto, pro incolumentate Vestrarum omnirogena-*

MAGNORUM NOMI

Hamilli

CARL GUSTAF

Generoso atque Nobilissimo

VIRO,

DN. LAURENTIO JOHANNI

E H R E N M A L M,

Regii, quod Aboæ floret, Dicasterii
summi Assessori Celeberrimo, Pa-
trono Benignissimo, & statem
jugiter & stimando.

Amplissimo atq; Consultissimo

VIRO;

DN. SAMUEL SCHULTEN,

Utriusque Juris, cum Patrii , cum
Romani, Professori Ordinario,
Promotori Optimus.

*ni Magni, Optimi, omnes Musarum Alumnos
rentie, leves basee pagellas, cum ardenti
atque perenni, sacras voluit*

NUM VESTRORUM,

mns eu!tor

WERANDER.

Åreborne och Högtårdade

Handelsmannen i Kongl. Residencen Staden Stockholm,

Herr DAVID BENEDICT
CNEIFF,

Min Högtårade R. Swäger.

Om jag i glömskans dystra natt/
Min Swägers godhet skulle
lämna/
Ett tackslänt sinne wor då platt
Å sido wändt; ett galet åmne;

Uptag min Bror för godhet all
Det trohets prof jag nu här gif-
wer/

Til desj jag i min mun blir kall/
Jag kändigt är och ståds förtblif-
wer

Min Högtårade R. Swägers

Hörsamste tienare
och Broder
CARL G. WERANDER.

Clarissime Domine Candidate.

Cum nihil homini datum sic a Deo
immortali, mente & ratione praestas-
bilius, nihil quoque dignius censeri deo-
bet, in quo idem plurimum operæ stu-
diique ponat. Traxit enim hoc divinum
donum ex contagione commercioque hu-
mani corporis, multum obscuritatis, mul-
tumque malitia, ut nec omnia, quæ ve-
lit, intelligere, nec ea, quæ intelligit,
prompte exequi velit. Obstat plerumque
ab una parte negligentia, inertia, ignavia;
ab altera, cupiditas & metus, quæ vicia
declinare qui volet, (omnes autem velle
debebunt,) vindicabit se, quantum licet,
e vinculis & illecebris corporis, ac in e-
um statum deducet, ut tanquam ex alto
& sublimi loco reliqua humana despiciat;
in solius vero honestatis admiratione de-
fixum animum gerat. Talibus Te studiis
delectari, Clarissime Werander, & mul-
ta alia & præsens dissertatio ostendit, in
qua studiose naturam mentis evolvis, quæ
licet unum quoddam & individuum sit,
tamen Tu eam, melioris gratia perceptio-
nis, in duas partes distinguis. Primas in-
telligentias tribuis; secundas voluntati.
Recte quidem. Quoniam quid faciendum

fugiendumve sit, illius est præscribere;
hujus autem recte præceptis obtemperare.
Præterea hoc insigni documento luculen-
ter probas, & qualem Tibi vitæ ducem e-
legisti; & quam viam tenere decrevisti.
Nec vero illud novum Tibi institutum est,
sed cum eadem ratione anterior vita cohæ-
ret. Quam diligenter enim intelligentiam
Tuam coluisti, edocent bina specimina,
jam parvo intervallo edita. & quam obse-
quentem rationi appetitum reddidisti, te-
statur singularis Tua probitas, & vere-
cundia, & ea, quæ maxime juvenem decet,
modestia. Quibus ornamentis & virtuti-
bus, & alios melitos & me quoque sic in
amorem tui allexisti, ut affectum in Te me-
um hac data occasione etiam publice de-
clarare gestiam. Uno igitur verbo gratu-
lor Tibi bonitatem indolis, claritatem &
ruditionis, elegantiam morum; magiste-
rii item Philosophici titulos, & insignia
jam capiti Tuо imminentia gratulor, ea-
que ut deinde reliqua præmia consequan-
tur, ac per totam vitam continua felicitas
exciptat, opto voveoque.

Tui

Dab. Aboæ

Studioſſimus

d. 16 Apr. An. 1726.

SAM. SCHULTEN.

ଶ୍ରୀମଦ୍ଭଗବତ ପ୍ରକାଶକ ପରିଚୟ
ଶ୍ରୀମଦ୍ଭଗବତ ପ୍ରକାଶକ
ପରିଚୟ

A. K. O.

CAPUT PRIUS.

§. I.

Nihil quicquam
sub sole esse, quod clari-
rius atque illustrius Be-
nignissimi Creatoris & potentiam
& sapientiam nobis exprimat, quam
ipsum hominem, ad unum omnes
saniores necesse est, contentiant. E-
tenim ad singulas res ab Altissimo
conditas attendantibus, vix majo-
ri dignum admiratione occurrit,
quam duas substantias, in uno sub-
jecto diversissimas, reperiri; alte-

A
ram

ram omnis extensionis capacem, quam corpus appellant; alteram extensionis omnis expertem, quæ mentis nomine insigniri solet. Omnes enim res ad duo substantiarum genera commodissime revocari, & vel sub spiritus vel corporis notione comprehendendi possunt. Homo vero tanto nobilius DEi artificium est censendum, quanto evidenter in illo arctissimum cum spiritus tum corporis vinculum & commercium observamus.

§ II.

QUÆ ad mentem singulariter pertineant, consideraruri, cum corporis rationem non finit ratio instituti ut habeamus, non ignoramus, haud paucos defuisse, qui mentis ideam formarint partim corpoream, partim incorpoream sive spiritualem: Sed si quid in nobis est iudicis, omnino sine ratione, id tactum arbitramur; cum unum atque idem non possit,

ad eandem oppositionis rationem esse corporeum & incorporeum; materiale ac immateriale; mortale atq; immortale. alias parit in nobis ideas substantia materialis sive corporea, alias substantia immaterialis sive cogitans. alios de rebus extensis , alios de inextensis formamus conceptus. Quis itaque ejus sit audaciae atque temeritatis , ut de industria, attributa longe distinctissima, immo adversa , uni eidemque substantiae tribuere velit? Ut enim apud Philosophos, substantia est primum subiectum attributorum & proprietatum , ita proprietates *corporis & spiritus* fibi invicem e diametro repugnantes, annoa aliud requirant subiectum, idq; diversissimum ? (a)

§ III.

Ceterum quæ mentis sunt proprietates, quibus a corpore differuntur.

(a) Conf. Lud. de la Forge tract. de mente humana C. III. §.4 p. m 8 & And. Rydel's Theat. Pneu. in MS. C. II. de anima humana.

cernatur, non omnes tradunt easdem. D. Chr. Thomasius differentiam materiæ & spiritus in visibilitate & invisibilitate collocat (*b*). Verum juxta ejus hypothesin aër & lumen, aliaque corpora subtilia spiritibus annumerari deberent, ut alia taceam.

§. IV.

Alli immaterialitatem, alii cognitionem, alii activitatem, alii vitam dicunt esse rationem mentis formalem, qua a corpore discernatur: sed si ad hanc rem nervos ingenii acrius intendamus, res hisce eodem tere recidit. Nam quod alii tern inis negativis enunciant, alii affirmativis exprimunt, nec nisi verbis singulariter differre videntur. Nos dum substantiæ materia-

lis

(*b*) In Canticis circa studium Metaphysicæ §. 13, p. 174. §. 14, 15, 17. p. 175. c. XII. ex instituto vero in tentatione de natura spirituum p. 134.

jis sive cogitantis nos ita pridem fecimus mentionem, non hoc indigetum voluimus: *anima essentiam in cogitatione consistere.* Scimus hanc sententiam a modernis Philosophis rationibus non sicut neis esse explosam, id tantum defendimus ut pote verissimum: mentem omnis omnino materiae expertem, ab omni extensione remorissimam, & tamen substantiam, sed viventem, suique conscientiam esse.

§. V.

Ex eo autem, quod anima rationalis est spiritualis, sive immaterialis, sponte sua fluit, eam esse intellectu praeditam. Spiritualitas enim sive immaterialitas substantiae, est radix intellectualis, ut loquuntur Scholæ. Hinc vero, quod anima rationalis est intellectu instrueta, porro consequitur, eam pollere voluntate. Quicquid enim habet potentiam cognoscendi, illud quoque

ta.

facultatem appetendi possidet; cum potentia cognoscendi, sua natura sit propter potentiam appetendi, ut bene argumentatur *Dominus Joha.
n. P. Hebenstreit* (e). Unde facile colli-
gi potest, quid ad quaⁿtionem il-
lam sit nobis respondendum: *U-
trum voluntas Intellectum, an intellectus
voluntatem praecedat?* Ingenue fate-
mur esse hanc quaⁿtionem, inter e-
ruditos diu multumque agitatam,
ut proinde parum abfuerit, quin
a proposito deterreremur; explora-
tissimus tamen ille favor, quo B. L.
jam pridem nos, utut imineruos,
dignatus es, spem nobis fecit cer-
tissimam, Te pro ea, qua es pro-
pensione, hos etiam innocuos nostros
ausus æqui bonique fore consultu-
rum.

CAPUT

(e) in *Philos. Primi*. P. 3. C. VI. ib. XI.
P. m. 422.

* * * * * *

CAPUT POSTERIUS.

§. I.

Quae & quot sint facultates mentis, penitus scrutantibus, vix dici potest, quanta sententiarum, apud Philotophos, super hac re occurant divertia. Quidam septem docent esse facultates mentis, intellectum, voluntatem, sentiendi facultatem, libertatem, Phantasiam, memoriam, Habitum (d). Sed quis non videt, hisce confundi ipsas facultates mentis, cum cuiusque diversis facultatis potentiis, sive dotibus (e)? Quidam tres menti facultates tribuunt, videlicet intellectum, desiderium, & acquiescentiam (f). Verum desiderium, & acquiescentia ad voluntatem pertinent; quippe quæ in

(d) Clericus Pneum. Cap. III. §. 2.

(e) Jo. A. Schmidt. Th. Nat. pos. p.m. 124. Epini introduit. in Pbil. part. IV. p m. 66. (f) Joach. Langius in Medicina mensis Part. II. C. I. §. IX. p. 217.

in se non solum complectitur fa-
cilitatem desiderandi, qua mens bo-
num cognitum exoptat, quærit, re-
cipit; verum etiam facultatem ad-
quiescendi, qua bono recepro, cum
quodam leticiæ affectu, perfruitur.
Quidam duas menti adscribentes
facultates, diverso modo sese expli-
cant; vel enim *passe*, vel *acte* ve-
mentem sese habere putant. *Sub*
passione, vel *passis cogitationibus*, com-
prehendi ajunt *perceptionem* & *in-*
clinationem; *sub actione sive activis co-*
gitationibus determinationem; ita ut o-
mnia cogitationum genera, ad hæc
duo, tanquam capita, revocari pos-
sint (g). Sed si libere philosopha-
ri etiam nobis fuerit licitum, non
videmus satis prægnantes esse cau-
sus, cur a vocibus, atque notionibus
verorum heic recedamus; *Annon enim*
pase

(g) *Adi ingmii atque iudicij Excellentis*
Phil. Dn. And. Rydelii Th pneum.
M S. p. m. 71. illiusque fñrnuffis
ðfningar for d. 1720. y. 1. 2. p. p.
S. 90 129

passio, quæ sub se comprehendat
perceptionem, tam *Incentem*, ut ipsi
vocatur, quam *ardentem*, & que di-
stingue, si non distinctius exprima-
tur per veterum, atque recentissi-
morum deinde, *Intellectum Theoretici-*
& Practicum? Perceptio lucens
illis dicitur, quæ cor non movere
quia objectum ejus est nudum ve-
rum vel falso, sine specie boni
vel mali. *Intellectus Theoretici* nomine
his venit, qui circa res meræ specu-
lationis, seu veritatem & falsitatem,
simpliciter in se spectatas, versatur
(b). Vel ut Cl. Aginns habet: qui
res cognoscit eo tantum fine, ut
eorummet veritatem cognitam ha-
beat atque perspectam (i). Quid
ergo ponatur discriminis inter per-
ceptionem *Incentem* atque *Intellectum*
Theoreticum? perceptio ardens illis ap-
pellatur, quæ cor movere, quia obje-
ctum ejus est bonum, vel malum.
Intellectus Practicus his vocatur, qui

A 5

be-

(b) Clericus Pneum. Cap. III. §. 5.

(i) Introd. in phil. part. §. p.m. 65.

bonum & malum, & quæ ad præ-
 xim pertinent, considerat; vel ut
 loquitur I. c. *Aepinus*, qui res co-
 gnoscit, non propter solam earum
 veritatem, sed ut dijudicet, num
 bonæ illæ sint, an male, agendæ
 vel omittendæ. Annon itaque e-
 undem feriunt scopum *perceptionis ar-*
dens atque *intellectus practicus?* Nudæ
 vero *passivis nomine intellectus* non
 posse venire existimamus, quia non
 est otiosus, sed maxime operosus,
 præprimis cum rem quampliam per-
 cipimus, aut nostra cogitatione vol-
 vimus; Et si nihil agat *intellectus in*
perceptione, unde tanta in cogitando
contentio? relinquitur ergo, intel-
 lectum habere se & *passive*, ideas re-
 cipiendo aliunde oblatas, & *active*,
 receptas contemplando, inter se
 comparando, distinguendo, & de
 iisdem judicando. Quod ad *inclina-*
tionem attinet, existimamus eam
 ad voluntatem commode reduci pos-
 se, quoniam *voluntas* non solum as-
 truosa operationem, verum etiam

nudam, quam vocant, propensionem sub se comprehendit (k). *Determinatio* autem in activitate consistit, adeoque ad voluntatem spectare cuius patet, qui ad hanc rem considerandam nervos ingenii intenderit. Non itaque videmus, quidquam causas subesse, cur plures mentis facultates statuimus, vel aliis titulis illas exprimamus, quam habent veteres atque recentiorum clarissimi Philosophi; videlicet intellectum atq; voluntatem.

§. II.

Prouit autem mens eum in finem est creata, ut verum cognoscat & bonum obtineat, ita duplitem esse vim atque facultatem menti indicat a Creatore nostro hinc advertemus; unam, qua verum apprehendit, alteram, qua bonum experit.

(k) *Io. Jac. Syrbius In der kürzeren Anweisung zur Weisheit/ §. 94. p. 38.*

tit. *Intellectus* res percipimus, non tantum corporeas, sed omnis etiam materiae expertes, rerumque varios respectus, ac virtutum rationes, & id genus alia, quae nec sensus ullus assequi, nec phantasma exprimere potest (1). *Voluntas* autem libere vel eligit vel rejicit, quod *intellectus* vel amplectendum vel repudiandum docet. Nunquam enim dici possum velle aut nolle aliquid, antequam *intellectus* dicturavit hoc vel illud esse agendum vel non agendum, cum *voluntas* omnino sit ex se potentia cœca, nec determinare se ad bonum vel malum queat, nisi *intellectus* faciem ei præferat, ostendendo ei & objectum sibi conveniens, modum, media atque finem semet exerendi.

§. III.

Tametsi voluntatem non ferri in *incognitum*, in omnium ore sit frequen-

(1) *Budd. Elem. Phil. Pract. p. 27. 15.*

quentissimum, non tamen defuere,
 qui variis modis id ipsum negare
 tentaverunt. Quam vero illud a ve-
 ritate sit alienum, non una ratione
 probari potest. Observamus primo
 subiectum harum facultatum homi-
 nem; an non supra beluarum sortem,
 infinitis modis hunc evectum, vel
 ideo constat, quod unum hoc animal
 sentit, quid sit ordo, quid sit, quod de-
 ceat in dictis factisque, quis modus (m).
 Deinde si objectum intellectus atque voluntatis
 inspexerimus, an non intellectus ob-
 jectum est verum, voluntatis bonum? an
 tequā bonum quoquo modo esse sciam
 an non intellectus opus est? ut porro for-
 malem utriusq; rationem taceamus;
 Nonne intellectus est cognoscere at-
 que intelligere, voluntatis velle? vel
 le autem incognitum quomodo quis
 potest? Quid, quod tandem natu-
 ra omnis praxeos necessario cogni-
 tionem, tanquam fundamentum suum
 apponit; Quomodo enim archi-
 tectus aedes exstruere poterit, nisi
 aedificandi artem noverit? An scri-
 ba quidpiam scribere poterit, nisi
 (m) *Cic. l. i. de officiis.* an-

antea norit, vel notitiam habeat, quo pacto quælibet lineæ sint du-
cenda? Insanire videtur, quisquis sine ratione quidquam agit, vel
agendum docet; Quibus denique
rationes Politicas & oeconomicas
addimus: potest ne subditus co-
lere principem suum, aut recte co-
lere, nisi sciat, qualis ille sit, an
imperium in ipsum habeat, quid ab
ipso requirat, ubi voluntatem suam,
quid a subdito fieri velit, manife-
staverit, quibus Ministris utatur ad
regendum, inque officio continens
dum subditum, quæ pœnæ ipsum
maneant, si morose eidem obſiftat;
quæ præmia, si eidem obliqueatur?
Quoque accuratius & magis distin-
cte hæc singula sciverit, eo rectius
coleret principem suum, eo diligen-
tius ab ejus indignatione sibi cave-
bit, & de procurando amore ipsius
sollicitus erit. Quis herus ex
nutu servi adeo velit pendere, ut
potius ex ejus, quam ex suo nu-
tu suaque voluntate serviri cupiat?

Requiritur ergo in omnibus, ut intellectus prius instruatur, quam voluntas ad hoc vel illud decenter se applicare queat. Ideo quoque in omnibus scientiis practicis institutio praemittitur, & informatio de fine, quem agendo asequi volumus; de subiecto, quomodo id comparatum esse debeat, ut cum succelsum agere & ad finem tendere possit; denique de mediis, finem vere efficientibus, ne spuria media, & quæ sub bonitatis specie blandantur atque decipient, loco ingenuorum elegantur. Qua in re moralis Philosophiae, utpore Ethica, Politica, Jura prudentia Doctores summam semper adhibuerunt, & adhuc hodie adhibent diligentiam, ut solida, id est, ex immotis rationibus & fundamentis; hisque ex innimis moralitatis principiis & quasi recessibus petita instructione, veram agendarum rerum civilium notitiam, in animis auditorum, firment, eamque a spuria accurate te-

secernant (n). Fingamus hominem in incognitum ruere, nūl certe a bestiis differet. Ut enim hominis naturæ plane est contrarium sine ratione agere, ita non antea cognitum appetere, est in statu brutorum cæto imperio in aliquid ferri. Et quomodo igitur, quælo, volet homo, ni omnino antea, quid velit, sciat? Quomodo ager, nisi quid agat, noverit? Nam etiam si voluntas aliquando in intellectum velut imperium quedam obtinere videatur, ægre tamen inde deducitur, voluntatem natura intellectus esse priorem. Quid? quod intellectus etiam voluntati per modum quendam persuadendi imperat, dum objectum cognitum proponit, & propositum sub ratione bonitatis vel maius, aut appetendum aut aversandum ostendit (o). Et si vel maxime concederemus, desiderium esse fundamen-

(n) D. Job. Feicit supra omnes landes patiti Ex. Theol. Indiff p. m. 103.

(o) Heereborus Exerc. Eth. p. m. 47.

mentum omnium operationum, quas vocant mentales, quis tamen inde argumentari vellet, voluntatis actum præcedere intellectum? Nam quo-cunque nomine illud desiderium ve-niat, ideam tamen, si non semper distinctam, saltem confusam prælup-ponit. Nec ii sumus, qui nege-mus, voluntatem citra deliberatio-nem, bonum appetere; id tamen firmiter adseveramus: nullum homi-nis apperitum, sine prævio quali-cunque intellectus judicio, procedere. Objiceret quis: neminem posse aliquid intelligere, nisi velit. Quod equidem quadam tenus est verissimum; ita ta-men, ut omni non careat exceptio-ne. Quid enim de naturalibus & insituis notionibus, quæ docente etiam Cicerone, in animis nostris insunt, putas statuendum? Quid arbitra-ris de cogitationibus illis, qui no-bis invitis oboriuntur, esse dicen-dum? Annon appellatus de pecu-nia, quam pro hac vel illa re a-licui debet, mollet scire, se hujus

scris alieni esse debitorem, si hoc
 se liberare posset? Esto etiam, cog-
 nitionem uberiorem, quam vocant
 acquisitam, actu voluntatis efficaci
 ut plurimum propagari, nulla ta-
 men ratione inde elicetur, Intellectus
 voluntatem esse priorem; quin semper
 rem cognitam voluntati sistat, ut
 eam sub specie boni vel appetat,
 vel sub specie mali aversetur. Ut ta-
 ceam ne hoc quidem in ignoran-
 tia simplici valere; nam licet igno-
 rantiam affectatam voluntatis ope
 exuere possit homo, præsupponitur
 tamen aliqua cognitio cum illius
 status, in quem sua negligentia pro-
 pria devolutus est, tum illius con-
 ditionis, ad quam pervenire jam-
 jam querit. Unde nos inter quæ-
 dam quoad gradus, & omnia sim-
 pliciter distinguimus. Prius de vo-
 luntate admittere possumus, poste-
 rius negamus. Et cur ea, quæ per
 ignorantiam invincibilem patruntur,
 imputari non possunt, nisi præcipue
 hanc ob rationem, quod actionem

dirigere non possumus, ubi intellectus lumen non præducet. Unde summarum omnium actionum, in primis moralium, fundamentum est cognitio intellectus, neque quidquam absurdius esse aut fingi potest, quam primo agere, deinde vero cognitionem non tam quærire, quam eandem ultro sequi.

§. IV.

Ergo manet, quod voluntas nihil appetat, nisi illud prius aut ab imaginatione, aut etiam ipsis sensibus externis fuerit representatum, cognitum & vicunque perspectum. Unde illud omnium ore tristissimum : *Ignoti nulla cupido*, verissimum audit. Illud tamen facile largimur, ut ex supra dictis jam quoque patet, necessarium non esse, ut voluntas in rebus percipientibus occupata, appetere vel averari non possit, nisi prius accuratam & distinctam cogitationem illarum

habuerit; quoniam crebra edoce-
mūr experientia, voluntatis nostræ
imperus non raro adeo vehemen-
tes esse, ut in res, vel leviter tan-
tum cognitas feramur; quo tamen
non obstante, id sibi hoc jure vin-
dicat ac merito tribuit intellectus,
ut voluntati vel confuse vel distin-
cte indicet, antequam quidpiam ap-
petere aut averlari possit. Quo-
circa difficeri non possumus, quin
intellectus aliquando impetu quodam
voluntatem obruatur; Vel voluntas i-
pia per imperum & operis quan-
dam interdum abripiatur; immo ad
hoc vel illud coeca ruat (p): sed
facultates forte mentis, ad instar
horologii cuiusdam, si dicere fas est,
tum vitium aliquod alicunde, vel
ab intellectus usu atque exercitio,
vel ab appetitu sensitivo, vel mem-
bris etiam exterioribus accepisse
putamus. Quotus quisque autem
erit, qui non, nisi animo plane sit
ob-

(p) Heerebord. in Exerc. Eth. p. 61. Sibom.
Id. Mor. s. 3. §. 12. p. m. 79.

oscitanti, jam advertit, quod *Intellectus* in cognoscendis rebus occupatus, ad hoc vel illud accuratius tantum percipiendum, a *voluntate* determinetur, quodque adeo: *intellectum esse natura priorem voluntate*, veritas sit indemonstrabilis; non quod demonstrari non possit, sed quod tuisus demonstrari nolit.

§. V.

Verum cui facultati, *intellectui* ne, an *voluntati* libertas competat, disquiritur apud Philosophos: sed facile esset probatu libertatem *formaliter* non nisi *voluntati* attribui posse. (q) Qui ergo in ipso etiam *intellectu* libertatem esse dicunt, *radicaliter*, non *formaliter* illud necesse est explicemus; cum libertas illa non tam consistat in differentia *actuum*, quam *objectioni voluntatis*, quod

(q) Conf. Job, And, Schmidt, Etb. pof. p. 30. 31.

indifferens esse cognoscit, & voluntas
 si proponit. ita liberæ electionis
 existit causa, non tamen ipsa est
 electio. Voluntatem autem per essen-
 tiā & formaliter tantum esse li-
 beram dicimus; non quod statim
 hoc intendamus, ac si voluntas, nun-
 quam necessario operetur, vel ec-
 jām non operetur; sed quod id dun-
 taxat primo urgeamus, voluntati, &
 non intellectui formaliter libertatem
 competere. Deinde quod etiam si
 voluntas quandoque necessario agat,
 nihilominus intrinsece & formaliter
 libera maneat; nam hęc duo
 sunt distinctissima: Voluntatem esse
 per essentiam libera, & libere operari.
 Prius semper verum est, Posterius
 non item. Potest enim voluntas ab
 agente superiori ad agendum cogi
 & necessitari, ut in Scholis loquun-
 tur, ita ut quoad exercitium am-
 plius libera non sit. Sic etiam
 potest impediri, ut necessario non
 operetur, quando videlicet deest
 aliquod extrinsecum requisitum, a
 quo

quo *voluntas* in agendo dependet; ut quando *Dens* ordinarium suum concorsum ipsi non præstat. vel *intellectus* per cognitionem ipsi, alius cuius rei bonitatem non repræsentat. Et sic potest diei, *Voluntatem* ex libera in necessariam mutari; ita tamen, ut intrinsece libera maneat, & tantum usu libertatis, ob defectum alicujus extrinseci requisi, privetur (r).

S. VI.

Antrquam vero finem huic discusi^o ponamus, supereft ut addamus tantum, quomodo hæmentis facultates, *intellectus* scil. & *voluntas* differant: nimirum formaliter, ratione nostri, prout res concipiimus secundum actus suos distinctos; non materialiter sive essentia-
liter, cum idem sit, quod res cognoscit.

(r) *D. Mich. Wendelerus in Disp. Eth. de princip. act. hum. tb. 22.*

scit, idemque quod easdem appetit aut averatur. (s) Non possumus itaque hisce nominibus duas significare distinctas res, sed potius unum eidemque rei, diverso considerandi modo, novam addimus appellationem, ita ut mens, si speculatur, intellectus, si appetat vel averatur, voluntas dicatur. Juxta vero, adseveramus, denominations illas fieri a posteriori, cum impossibile sit adeo omnis mentis operationes separare, ut sola cognitio sine appetitu aut aversatione, aut voluntas sine cognitione adsit, quippe quæ omnia sunt intime ac inseparabiliter connexa. (t)

§. VII.

Sic auspicio Divini Numinis ea, quæ pro ratione temporis praestata-

(s) Aenimi introd. in Phil. part. V. p. m. 180.

(t) Gothieb. Gerh. Titii abl. circa librum Puffend. de off. hom. & civis. p. 53. abs. 13. 2. & And Rydelii Coll. Logic. in M S. C. III. Sect. VI. §. XII. XIII.

dare potuimus, non quæ debuimus,
 Tibi B. L. exhibemus. Quæ si ad
 palatum non sint, in meliorem ra-
 men interpreteris partem, rogo. Vo-
 to cetera complectens: Regat nos
 altissimus, ne missio intellectus recto
 judicio, voluntatem patiamur un-
 quam ad ea perpetranda ruere præ-
 cipitem, quorum intellectus nos
 deinde pœnitere docebit,

Soli DEO Gloria.



Då

Candidaten,

Herr CARL GUST. WERANDER
Viste uti Åbo / igenom ett wackert
arbete sig vara wärdig en Lager-
krantz / yttrade sig således.

Gå några ord kan jag ej fatta
Hur alla plå den lycklig stat-
ta /

Som lärt sin tid använda
i ått :

Då andra gå och sig besinna /
Kan den til målet tappert hursa /
Som styrndar på och löper tätt.

Sielv Momus måst sin arghet giömnis-
ma /

Och med förtret råttmåttigt dömis-
ma /

At fortan tid är mera wärd /
Den man använt sig sielv til heder /
Til wishet / dygd / och wackra seder /
An många åhr / och litet lärde.
Så

Ed ger WERANDER här exempel,
hur man skal gå til åhrans tem-
pel,

Och ta' sin tid i nega acht.
Har han til heder redan hunnit/
Hwad skal då blifwa öfrikt munnit
Når längre tid blir det til lagt?

En uprichtiger wän
J G Lädie.

Då
Höglärde Herr Candidateen-
CARL GUSTAF WERANDER,
Pro Gradu Magisterii
med beröm Disputerade.

Had more oförtruten mōda /
Hwad wäl anlaad och trägen
flit /
Hwad hufvudbry förståndets föda /
Hwad wor'om mishet stadia nijt /
Ja/ hwad wor lefnad utan flärd /
Hwad lärdom/ dhad och rara seder :
Om de ej skulle ge den hedre
Man genom dem har gjordt sig
wārd.

Det wor'ju fåfängt ett bekymmer/
Frucht-lösa griller til belack/
Onödigt fik som nötjet trinmer /
Bestwår frutan lön och taek;
Man had ju intet der utof/
It någon ens der på skult täncka /
Men af förgåtenhet alt sänckas

I glömskans mörka dystra graf.

Är då ej väl at flitig ifver

I digert wett och snille wånt/

Til ndie altid riklig gifver

För muddan det man har förtient.

En far man fort Apollos wän/

Sij/ dngden skal Dig vårdigt lönna/

Dch snart med Heders Krantz bekrö-
na /

Bland sina täcka vittra Män.

Befngade sin fägnad
Des
sprichtige Wän

Af Hierstal.

Höglärde Herr Candidat.

En sol-klart sees Herr Candidat,
Hur I en wishets klär kamrat
På dygde-bahnens städse wandra:
Ehr tid/ Ehrt vund/ Ehrt mogna
wett /

I så anlagt/ at man ej sedt /
Den som med skäl der på kan
klandra.

En stal man Ehr beträni och läf/
Med fog i Pallas wisa Häf/
Ja i den lärda werlden wida /
För Eder dygd och alt det fram /
I hurtigt haft i liuset fram /
Med nöje ständigt widt utsprida.
Mig

Mig tycks hūr Pallas med behag /
Sielflångtar snart at se den dag /
Då Hon sin täcka wän Weran-
der ,
En Lager - Krans fär sätta på /
Den hon ser Honom wäl anstå /
Och han förtient som någon an-
der.

Skuldigt och wälmint
Af

SAMUEL SCHENBECK.

କାହାର କାମ କରିଲୁ ଏହି କାହାର କାମ
କାହାର କାମ କରିଲୁ ଏହି କାହାର କାମ
କାହାର କାମ କରିଲୁ ଏହି କାହାର କାମ

କାହାର କାମ କରିଲୁ ଏହି କାହାର କାମ
କାହାର କାମ କରିଲୁ ଏହି କାହାର କାମ
କାହାର କାମ କରିଲୁ ଏହି କାହାର କାମ

କାହାର କାମ କରିଲୁ ଏହି କାହାର କାମ

କାହାର କାମ କରିଲୁ ଏହି କାହାର କାମ

କାହାର କାମ କରିଲୁ ଏହି କାହାର କାମ

କାହାର କାମ କରିଲୁ ଏହି କାହାର କାମ

କାହାର କାମ କରିଲୁ ଏହି କାହାର କାମ

କାହାର କାମ କରିଲୁ ଏହି କାହାର କାମ